



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XXXVII. De pura & integra resignatione sui, ad obtinendam cordis
libertatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

meruisti: ne indigneris ex hoc, neque per impatientiam minuas coronam tuam: sed ad me potiùs respice in cælum, qui potens sum eripere, ab omni confusione & iniuria, & vnicuique reddere secundùm opera sua. *Heb. 12*

CAP. XXXVII.

De pura & integra resignatione sui, ad obtinendam cordis libertatem.

FILI, relinque te, & inuenies me. Sta sine electione & omni proprietate, & lucraberis semper. Nam & adiicietur tibi amplior gratia, statim vt te resignaueris, nec resumpseris. Domine, quoties me resignabo, & in quibus me relinquam? Semper, & omni hora: sicut in paruo, sic & in magno. Nihil excipio, sed in omnibus te nudatum inueniri volo. Alioquin, quomodo poteris esse meus, & ego tuus: nisi fueris ab omni propria voluntate, intus & foris spoliatus? Quantò celerius hoc agis, tantò melius habebis: & quantò plenius & sincerius, tantò mihi plus placebis, & amplius lucraberis. *Mat. 16*

2. Qui-

2 Quidam se resignant, sed cum aliqua exceptione: non enim plenè Deo confidunt, ideò sibi prouidere fatagunt. Quidam etiam primò totum offerunt, sed postea tentatione pulsati, ad propria redeunt, ideò minimè in virtute proficiunt. Hi ad veram puri cordis libertatem, & iucundæ familiaritatis meæ gratiam, non pertingent: nisi integra resignatione, & quotidiana sui immolatione priùs facta: sine qua non stat, nec stabit vnio fructiua.

3 Dixi tibi sæpissimè, & nūc iterum dico. *Mat. 16* Relinque te, resigna te, & fruèris magna interna pace. Da totum pro toto: nil exquire, nil repete: sta purè & inhesitanter in me, & habebis me. Eris liber in corde, & tenebræ non cōculcabunt te. Ad hoc conare, hoc ora, hoc desidera: vt ab omni proprietate possis exspoliari, & nudus nudum Iesum sequi: tibi mori, & mihi æternaliter viuere. Tunc deficient omnes vanæ phantasiæ, conturbationes iniquæ, & curæ superfluæ. Tunc etiam recedet immoderatus timor, & inordinatus amor morietur.

CAP.